

13.

Q. D. B. V.

1718

12039

EFFICACIAM PACTORVM ILLVSTRIVM CONTRA TERTIVM

DISSERTATIONE SOLENNI

INDVLTV

INCLYTI ORDINIS ICTORVM

SVB AVCTORITATE

EIVSDEM DECANI

DN. IVSTI HENNINGII BÖHMERI

ICT. COMIT. PALAT. CAES. POTENTISS. REGI
BORVSS. A CONSILIIS AVLICIS PROFESSOR.
IVRIS ORDINAR.

WILHELMVS GODOFREDVS L.B. DE SCHELL

S.R.I. EQVES.

IN AUDITORIO MAIORI
DIE XII. OCTOBR. MDCCXVIII.

H. L. C.

examinabit

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Typis CHRISTIANI HENCKELII Acad. Typogr.

DE
THEATRIS
PAGOTORVM
HISTORIUM
CORTA TERRITVM

DIESER LITERATORIS SOLEMNI
IN AVATA
HIC ATQ; HISTORIAS
SIT AVATORIAS
EIS ADOPTATAS

ON. IVASTI HENNIGII

EGT. COMIT. PIAVI. CAVS. FOTNTIAS REC
TURAS. CONSVL. AVASTIS. HISTORIAS
TURAS. OPIKARIA.

MILHELMUS GODFREDES AT
DE SCHRIE

DIS. ELL. QD. DE. MOCZAKI
DIS. ELL. QD. DE. MOCZAKI

THE CHRISTIANI HENCKELI AYAG TABOET
MIE. MEDOESPRIGIC



DISSERTATIO SOLENNIS

QVA

EFFICACIA PACTORVM
ILLVSTRIVM CONTRA
TERTIVM

EXAMINATVR.

§. I.



A est obligationis, quæ ex promissione-Introitus.
bus nascitur, indeoles & ratio pro-
pria, vt personæ cohæreat, tanquam
proprio suo subiecto, non vero
rem afficiat, & in eam semper & in-
distincte ius transferat. l. 2. §. 1. de
policit. Qui promittit, nihil aliud
plerumque intendit, quam se suam-
que personam vinculo obligationis subiicere: ad ius in
re transferendum adhuc nouus & distinctus actus ut plur-
imius desideratur, quo hæc translatio expediatur. Vn-
de decantata nata est conclusio, pacta non habere efficaci-
am contra tertium possessorem, sed tantum contra promissorem.

A 2

L. 2.

*Loquor de pactis obligatoriis: promissoria sicuti in aliis, ita in hoc quoque ab illis differunt, quod tertio prosint, ut evidenter ex l. 17. §. 4. de pac*t*. liquet. Plura tamen in scenam produci solent pacta, quae rem ipsam afficiunt, ut loquar cum B. HARPRECHTO de fideic. conuent. & quidem in resp. subi. n. 65. & ita efficaciam contra tertium habere videntur, id quod, qua ratione fieri possit, paucis hac differentiatione expediendum est. Et quia plerumque haec controv ersia exsurgere solent inter illustres, siue status imperii, siue immediati sint, applicationem potissimum ad horum pacta dirigam, non quod in priuatorum pactis diversa ratio sit, sed quod maior usus & praxis, immo applicatio maioris ponderis & efficacie in illustrium conventionibus apprehendi soleat.*

§. II.

*Pacta sunt Equidem non nego, pacta in l. 5. D. de pac*t*. recte vel publica diuidi in pacta publica & priuata. Illa dicuntur, quae ex vel priuata. causa publica fiunt, veluti per pacem, quoties inter se duces belli quædam paciscuntur & ita pertinent ad uniuersæ reipubl. populi salutem. Pertinent huc solennia sponsionis exempla, de quibus vid. ill. B.N. THOMAS. diss. de spons. Caud. & Numant. Haec fiunt ex causa priuata, seu ad priuatam paciscentium uitiatem pertinente. Pacta illustrium tum ad primi tum ad secundi generis conuentiones referri queunt, cum ius belli & foederum statibus imperii competit, assertum iis in l. P. art. VII. §. gaudeant. Potissimum vero mihi hic sermo erit de pactis perpetuis, quibus illustres vel in sua familia pro eius splendore & incrementis quid paciscuntur, quorum pertinent fideicomissa familie conventionalia, vel*

vel cum extraneis pacta ineunt, rursus tamen gentis sue intuitu, cuius amplificatio & conseruatio omne ferre sollet punctum. Sintne vero hæc pacta illustrium publica, an priuata, dubitatur.

§. III.

BETSIUS de stat. & pact. famil. illuſtr. c. 3. §. 12. hac *Pacta illuſtria* de re ita censem: tametsi hæc pacta, respectu statuum illius strum an subiectorum publica videri possint, tamen domini superioris aut *priuata an imperii intuitu publica non sunt, nisi ratione publicæ utilitatis publica, sancta & in eius emolumenntum redundant*, quorsum in sequentibus refert ad mutuam defensionem prouinciarum pacta inita seu confederationes. Eodem fere modo ratiocinatur BETSIUS in hac doctrina, quo GROTIUS de I. B. & P. lib. I. c. IV. §. 6. n. 1. quando disquirit, quo sensu magistratus subalterni possint publicæ dici *persona?* quo priuata? Id vnicce tantum assertis obstat videtur, quod quævis pacta pro augendo gentis illustris territorio, pro amplificanda eius potestate, & pro eius integritate suscepta initaque *absolute publica* dici queant, quod ad minimum utilitatem vniuersæ prouinciarum indirectum respiciant. Id tamen magis fingitur, quam ex vero asseritur. Gloria gentis, quæ territoriis praest, non semper commodo subditorum cedit. Incrementa prouinciarum, quæ ex *pactis successoris* generantur, magis priuatam gentis rem augent, quam populi salutem tangunt. Et quæ pro *conseruanda familia* illustri ineuntur pacta, rursus gentis utilitatem primario concernunt, vtut per consequiam quædam *commoda etiam in subditos* quandoq; redundant, adeoque pacta hæc illustrium dici possunt *priuata intuitu familiae & gentis*, cuius commoda potissimum per hæc pacta queruntur.

A 3

§. IV.

An in hac
distinctione
aliqua sit
utilitas.

§. IV.

Non videntur hæc otiose fuisse disputata, cum hæc potissimum inter conuentiones publicas & priuatas consti-
tui soleat differentia, quod (referam verba BETHII ut
cit. l. in f.) publicæ vim legis obtineant, priuatae autem non, et
iam si a publicis personis celebratae sint, sed eos effectus tantum
producant, qui l. 6. & 7. de pact. recensentur. Si in Roma-
na republica vel in confortio PAVLI & VLPIANI con-
stitutus iudicium ferrem, vix aliter iudicarem. Publi-
ca pacta ex iure gentium inter gentes erant estimanda,
adeoque simpliciter obligabant instar legis: non item pa-
cta priuata nuda, quæ in republica Romana, exceptis le-
gi imis, vt cit. l. 6. indicat, non producebant actionem.
Nec hoc ideo, quod pacta nuda essent conuentiones inde-
terminatae; hæc proprie non sunt pacta: magis tracta-
tus sunt, & prorsus imperfecti actus; l. pen. C. in f. de his
quæ vi indign. sed quod Romani ex iustis causis ad va-
litudinem & efficaciam pactorum solennia verba desidera-
rent, vt, iis adhibitis, certissime constaret, non in nu-
dis substituisse pacientes tractatibus, sed in idem con-
fessisse placitum. Quodsi indeterminatae conuentiones
tantum pactorum nudorum catalogo inferenda fuissent,
nec pactum doris, in quo dos determinata promissa, nec
donatio certe summa, nudo inita pacto, nudis pactis olim
accenserii debuisset, quæ pacta tamen demum iure co-
dicis efficaciam plenam acceperunt, l. 6. C. de pact. conuen-
sup. dot. l. 35. C. de donat. Ast cum in republica Germa-
nica, inter Germanos constitutus sim, & de hodiernis
illustrium pactis iudicium ferendum sit, id: quod addu-
ctum est discrimen, admittere nequeo. Pacta quævis-
nil

nisi aliunde vitium habeant, obligant efficaciter, & in-
star *legis* sunt, eius denominationem etiam assumunt,
adeoque in eo *pacta* & *publica* & *priuata* conueniunt.
Nihilominus tamen a *legibus* magnopere adhuc distin-
gui, expeditum est, in quæ discrimina me non immittam.
Forsan alii in hoc differentiam quæstusti sunt,
quod *publica* illustrium *pacta* non indigeant Imperatoris
confirmatione; magis *priuata*, iure priuatorum *estimanda*.
Est ea contentio decantata, & magnæ molis,
ab his potissimum, qui *pacta successoria* enucleant, euo-
luta, quam hic intactam relinquo. Id vnicē addo, in
doctrina, quando *de efficacia pactorum illustrium contra*
tertium contentio vertitur, præsupponi *pacta* valida,
quæ aliunde vitium non habent, adeoque si (*hypothe-*
tice loquor) confirmatio Cæsaris est necessaria, ea haud
sunt destituta.

§. V.

De pacti sitaque his illustrium emergit quæstio. *Ex quo fon-*
An & quatenus efficaciam habere possint contra tertium. Di-
cis forsitan, ex sola volumate pacientium & iuris naturæ presentis
dispositione, secundum quam hæc pacta dissertatio-
videntur. Neque enim ius Romanum hic sequendum nis sit euol-
esse, quis existimare forsitan posset, cum quidem prin-
cipes & illustres inter se vtantur iure priuatorum; sed
nondum euictum sit, quid per ius priuarum intelligi queat.
Iam B. HORNIUS in iure publ. c. XII. obseruavit, non vni-
ce, ius Romanum hac appellatione contineri, quamvis
adhuc eius usui nimium induluisse videatur in contro-
uerbiis priuatis illustrium inter se. Plenius & planius
Dn. GRIEBNER de præiudic. princip. imp. ex abusiu. Iu-
stin.

stn. c. II. de abusu adductæ regulæ agit, satisque eruditæ ostendit, ius Romanum non primario voce iuris priuati intelligi posse. Datur etiam *ius naturæ priuatum*: datur itidem *ius Germanicum*, quod non omnem inter Germanos, & imprimis inter illustres, virtutem & auctoritatem suam amisit.

§. VI.

*Verum de
iure naturæ
pacta effica-
ciam babe-
ant contra
tertium.*

Sed linquo hos scopulos in *thesi*. In *hypothesi* tantum mihi disquirendum erit, an in hac doctrina differentia quædam sit statuenda inter *ius naturæ*, *Germanicum* & *Romanum*. Evidem quod *ius naturæ* concernit, notum est, plures ea duci opinione, ad *ius* in re transferendum non requiri eo iure traditionem: nuda id ipsum conventione effici posse, quo posito, efficax erit quolibet pactum contra tertium possessorem. Nec hoc sine ratione assertum videtur. Omnis enim promissio, aiunt, qua de *re* inter plures conuenit, promittentem quidem iure & arbitrio omni, *re* alteri promissa ulterius vtendi, deue ea in posterum disponendi prorsus exiit, eo vero, cum quo negotium geritur, omnia, que in rem competere possunt, iura plenisimo titulo confert, ita ut res ei acquisita & ad eum spectare, & perire, dici possit. Ita philosophantur GROTIUS de *iure* B. & P. lib. 2. c. 6. §. I. n. 1. HUBERUS lib. 4. digress. c. 8. & lib. 2. de *iur. civil* sect. IV. c. 5. n. 2. q. aliique, addentes cum GROTIO, ex lege mere ciuili esse, ut etiam traditio requiratur, securitatis dominiorum causa, quo quid cuiusque esset facilius dignosciri posset. Huic consequens est, ut de *iure naturæ* rem promissam ab inuitu exigere, & a quocumque possessore repetrere permisum sit, id quod certe de *iure Romano* haud licet. Id tamen

tamen quidam concedunt, traditione omnino opus esse,
si de naturali usu dominii questio mouetur, h. e. facultate
reali, illa re vtendi vel suis commodis applicandi.

§. VII.

Ego vero ius naturæ cum Romano conspirare, Non semper
omnino persuasissimum habeo. Pacta quævis potissimum
estimanda sunt ex intentione pacientium: ea vero
non semper, vt fingitur, est actualis translatio iuris in re
in alterum. Transfertur vtique ius quoddam in alterum
per pactum, sed quale illud sit, ponderandum est. In
pactis (I) id agi potest, vt alter se simpliciter obliget,
suamque personam adstringat ad aliquid præstandum,
quo ipso quidem sibi adimit arbitrium de illa re vlt
rius disponendi, sed eo ipso non statim eius rei desinit
esse dominus, id quod inter pacientes haud est actum.
Ligatur eo pacto, ne rem in aliud rursus transferat, sed
si eam contra fidem datam transfert, contra datam fidem
agit, & læso omnino ad satisfactionem tenetur. Illud
vero non impedit, quo minus id, quod promissor ad
huc habuit, in alterum transferre potuerit. Aliud est,
promittere, se dominium translaturum esse in alterum:
& aliud, dominium & omne ius, quod promissor in re
habebat, in alterum transferre, sicuti aliud est consen
sus in præsens & aliud consensus in futurum matrimoni
um. Porro (II) etiam in pactis id agi potest inter pa
cientes, vt statim, pacto absolute perfecto, in alte
rum omne ius, quod promissor habuit, transferatur,
& nihil penes eum remaneat, nisi naturalis possesio, &
inde dependentes effectus: hoc casu traditione non est
opus ad translationem huius iuris & dominii, sed tan
cum

B

tum ad realem possessionem consequendam. Hoc modo pactum habebit efficaciam contra tertium, in quem nullum amplius ius, quo promissor se sponte exuit, transferre potuit. Eam tamen non tam pactum oportet, sed illud ipsum ius reale, quod per pactum iam translatum est, vigore cuius a quo quis possesso rem repetere, potest. Ita intentio diuersa paciscentium diuersos quoque producere debet effectus.

§. VIII.

Conuenientia iuris Romanum cum iure naturae. Hoc modo explicatum ius naturæ optime consperat cum iure Romano. Neque Icti Romani, optimi ut plurimum iuris naturæ interpretes, in hac doctrina ius ciuile, sed mere naturale referre voluerunt, nec in eo, vt prorsus arbitror, decepti sunt. Eleganter ait Imperator in §. 40. *I. d. rerum diuis.* Nihil tam conueniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Cur ergo non effet rata habenda illa voluntas, qua non statim res ipsa, sed ius ipsum in re tali transferre promissor vult & intendit? Atque etiam id iure Romano fieri potuisse ex multis liquet. Hoc quoque ad intentionem paciscentium respiciendum esse iubet. Id tantum contendit docetque, non aliter ius in re per pactum seu contractum transferri, nisi hoc nominativus & manifeste actum sit: de hac voluntate si non constat, tantum obligari personam censet, ad rem praestandam; non vero ius iam translatum esse, quia id regulariter per pactum agitur, vt alter promittat, alter vero acceptet, qua acceptatione promissi oblati quid aliud intenditur, quam ne promisor a fide data

data resilire queat? & hoc est, quod appellamus obligatio-
nem personæ.

§. IX.

Hac de causa in l. 3. pr. D. de O. & A. ICtus ait: *Obli. Nudis pa-*
gationum substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus no-
strum aut seruit utem nostram faciat: sed ut alium nobis ob-
stringat ad dandum aliquid vel faciendum vel præstandum.
Etsi non
transfertur
dominium,
 Ad votum quoque eandem doctrinam applicat VLPIA-
 NVS in l. 2. pr. de pollicit &, si quis rem aliquam voverit,
 ait, *voto obligatur, quæ res personam voventis, non rem, quæ*
vovetur, obligat, h. e. non operatur, vt per votum *iuris*
dīiuni &, sacra fiat, nisi acceſſerit ſolemnis traditio, *quæ*
in consecratione deprehendebatur: In l. 20. C. de paſt. aiunt
Cæſares: traditionibus & vſuaptionibus dominia rerum,
non nudis paſtis transferuntur. In his textibus genera-
 tium de intentione eorum, qui nudis paſtis se obligare vo-
 lunt, agitur, quæ per rerum naturam translationem iuris
in re operari nequit, ad quam non fuit directa. Cape
 exemplum: Promitto Titio, me librum meum ipſi *da-*
tūrum eſſe pro eius pileo: an hoc paſto intendo, vt ſta-
 tim ius in re ſeu dominium in alterum transferam,
 cum hic ne quidem de preſenti translatione agatur? Cer-
 tum eſt itaque nudis paſtis, h. e. quibus tantum id agitur,
 vt promiſſor ſuam adſtringat personam, non transferri
 dominium.

§. X.

Si paſtis non nuda intenditur personarum obligatio, Transfer-
 tur rāmen, tur rāmen,
 fed plus, h. e. iuris in re translatio, nec hunc effectum
 iura Romana paſtis negant. Loquor de iuris pruden- Si id inten-
 tia mitigata & restituta, non de inculta & corrupta, quæ dunt paci-
 pri- centes.

primis post XII. tabulas annis obtinuit, quam CICERO orat. pro Cæcina, ut admodum corruptam nobis depingit. Per pactum seu conuentionem hypothecam constitui, notissimum est, quod contra veterum ICtorum disciplinam admodum depravatam primum constituerant praetores. *I. 4. D. de pign. & hypoth.* Quid enim aliud in hoc pacto intenditur, quam ut statim ius in re transferatur, nulla licet traditione interueniente? In consensu de communione omnium bonorum id agitur, ut postquam contrahentes in idem placitum conspirarunt, statim quævis bona communi nomine possideantur. In societate omnium bonorum, ait PAVLVS in *I. 1. § 1. pro suo,* omnes res, quæ coœuntum sunt, continuo communicantur *I. 2. e.* communes fiunt, cum mox singuli res, antea proprias, communi nomine possidere incipient. Adiungit hanc rationem CARVS in *I. 2. eod. quia licet specialiter traditione non interueniat, tacita tamen creditur interuenisse.* Loquitur ex usu forensi: tacita traditio idem hoc loco est actionis traditio: quod singitur, non est, effectum tamen eius, quod singitur, habet. Id tantum ICtus intendit, perinde mox res communicari, ac si traditæ fuissent, cum traditione non sit opus, vbi aperte, de voluntate in societatem coœuntum constat. Quid si de certare particularis societas ineatur? Hic collationem, quæ traditionem presupponit, desiderant. Neque hoc sine causa, si id non actum, ut statim res communi nomine possideatur: *I. 18. § 1. pro soc. ibi: si vero ante collationem, posteaquam eam destinasses &c.* Si contrarium actum, rursus etiam res, de qua communicanda actum, fit ipso iure communis, sola voluntate paciscentium, sine reali traditione.

§. XI.

§. XI.

Vfus huius obferuationis primarius cernitur in con- *Quod in-*
stituto poffessorio, de quo peculiari tradit. egit ANDREAS primis fit in
TIRAQVELLV. Recte ait CELSVS in l. 18. pr. de ac- confituta
quir. vel amitt. poffeff. quod meo nomine poffideo, poffum alie- poffessorio.
no nomine, mutato titulo, poffidere: nec enim muto mibi cau-
ſam poffessionis solo animo, ſed defino poffidere, & aliud pof-
fessorum ministerio meo, facio: nec idem eft poffidere, & ali-
eno nomine poffidere. Nam poffidet, cuius nomine poffidetur:
procuator alienae poffessioni prafat ministerium. Fictam
hic interueniſſe traditionem, dicunt, ſed eo ipſo ſimil
indigitant, nullam reuera interueniſſe traditionem. A-
pertiffime id indicat Imperator in §. 44. I. de rer. diuif.
interdum etiam SINE TRADITIONE NVDA VO-
LVNTAS DOMINI ſufficit ad rem transferendam.
Dicit interdum, vt indigitet, ad intentionem contra-
hentium respiciendum eſſe. In venditione non
ſemper id agitur, vt ſtatiſ res emtoris fiat, ſed vt
res pro pretio alteri tradatur: agi tamen hoc potest in-
ter emtorem & venditorem, vt res emta ſtatiſ emtoris
fiat, etiam antequam tradatur, ſi venditor constituit, ſe
pothac, nomine emtoris rem emtam poffellurum eſſe:
hoc ipſo poffeffio in emtorem transit, & per hanc pof-
fessionem etiam dominium, ſi venditor dominus fuit
§. I. per quas person. cuique acquir. Etiam ad acquiren-
dam poffeffionem appetenſione opus eſt, qua tamē mi-
nijſerio venditoris hic facta videtur fuiffe, vt ita omnia
breui manu expediantur. Si extraneus accepto fert de-
bitori dotis constituenda cauſa, ita vt mulieri donatum
velit, tunc credendum eſt, ait ICtus in l. 43. §. 1. de iur. dor.
breui manu acceptum a muliere & marito datum. Hac o-
B 3 mnia

mnia solo consensu peraguntur ; sed quia intentio, quæ dirigit omnem dispositionem, manifesta est, quæ fuit, ut velii mulieri in totum donatum, vt ait I Cetus cit. l. non potuit non effectum intentioni conformem habere. Quid ergo est, quod AFRICANVS in l. 34. pr. mand. huic doctrinæ contradicit ? Negat nuda pactione pecuniam ex mandato apud procuratorem existentem fieri posse creditam. In effectu tamen mihi non contradicit. Subtiliter de eo disputat, vtrum tali pactione mutuum contrahatur, an vero mandatum maneat. Posterius adstruit, sed cum hac declaratione, vt periculum huius pecuniae, quam ex administratione habebat, ad eum transeat, quod indicium præbet, eius pecuniae nuda conventione illum fuisse factum dominum , quia alioquin periculum ad eum non fuisset translatum, cum procurator rei , ex mandato penes se existentis, non fiat dominus, nisi id auctum fuerit. Quæ de cetero circa genus contractus subtiliter philosophatur, sub examen non reuocabo, plenus excussa a CVIACIO tr. VIII. ad Africanum p.m. 546.

§. XII.

Idem ostenditur in a- feruarunt. In l. 1. C. de pact. inter. emt. & vend. ita Cæsar liis iuris ar- ANTONIVS: se ea lege præmium vendidisti, alterique tradidisti, vt nisi intra certum tempus pretium fuisset exsolutum, emtrix arrbas perderet, & dominium in emtricem translatum, ad te pertineret, fides contractus seruanda est, hoc effectu, vt dominium statim ad venditorem reuertatur: id enim hoc pacto intendisse contrahentes, manifestissimum est. In traditionibus enim rerum quocunque pactum sit, id valere manifestissimum est. l. 48. D. de pact. Quoties ergo,

ergo, pacto adiecto traditioni, ius *limitatum & restrictum* translatum est, id ultra intentionem operari nequit. l. 5.
C. si mancip. ita fuer. alien. Proinde si quis duas ædes habeat, & alteras tradat, potest legem traditioni dicere, *ut vel istæ, quæ non traduntur, serua sint his, quæ traduntur,* vel contra, *ut traditæ retenis ædibus seruant,* l. 6. pr. comm. præd. qua conuentione statim ius in re seu seruitus acquisita est. Denique POMPONIVS in l. 21. §. 1. de acquir. rer. domin. rem satis neruose explicat, &, si rem meam posseideas, ait, & eam VELIM tuam esse, fiet tua, quamvis possesso apud me non fuerit. Manifestum, ni fallor, ex traditis satis est, etiam citra traditionem ius in re in alterum transferri posse, si quidem id speciatim fuerit aetum.

§. XIII.

Quod vero ut plurimum traditio & actualis rei translatio in alterum desideretur, id inter gentes vel ideo re-voluntate ceptum est, vt per hanc eo perfectius & efficacius de pacifcenti translato iure in re constet. Id quod cum vistatum est, ^{um constat} se soleat, semper animaduertendum, vtrum pacifcentes effectum pacti usque ad eam suspenderint, quod libere facere possunt & fecisse presumuntur ex more communiter recepto: an vero aliud egerint? Securius esse, si præterea actus aliquis interueniat, quo euidentissime voluntas & intentio promittentis, ius ipsum dominii in alterum transferendi, declaretur, agnouere gentes, & in- & symbolis ter hos etiam Germani, qua de causa certa signa adhibue- variis. runt, ex quibus de voluntate transferendi omne ius in alterum plenissime constaret. Duo imprimis inde nata sunt commoda: (I) ne, quod perfidis admodum solenne

ne est, in posterum amplius allegari posset, actum non dum fuisse perfectum, sed in finibus simplicium tractatum substitisse: (II) ne contractu perfecto promissori amplius integrum esset, aliquid iuris in rem promissam alteri contra fidem datam concedere, quia hac *contestatione symbolica* plenissime voluntas promittentis erat explica-ta. Francos, Allemannos, Saxonesque hunc morem, gentibus familiarem, secutos fuisse, antiquitatum monumen-ta infinita ostendunt, quorum *symbolorum* egregiam copiam collegit DN. BÖHMER. in *iure eccles.* protest. lib. III. tit. de institut. §. 4. sqq. & imprimis §. 11. sqq. unde liquet, hunc morem non solis Romanis proprium fuisse, sed maioribus nostris etiam antequam se componerent ad instituta Romanarum legum, iam visitatum. Hi quidem in plerisque *simplicitatem iuris naturae* sequebantur, sed ad fraudes & cauillationes praecauendas traditione vel vera vel *symbolica* vtebantur, vt omne ius suum hoc modo statim in alterum translatum esse, denotarent. Nero-u-noz. apud AVBERTVM MIRAEVM lib. 1. donat. Belg. c. 36, in quo donator perspicue declarat suam voluntatem his verbis & signis: *quæcumque autem ista mea bona iuris mei superioris dicta una cum accessionibus & ingressibus, seu cum superioribus & inferioribus suorum qualiter supra legavi, in integrum ab ea die in eadem ecclesia dono & offero, insuper que cultellum, festucam nodalam, gantonem, & guascionem terræ, atque ramum arboris, & me exinde foras expulsi, garpiui & absentem me fieri & a parte ipsius ecclesie habenda reliqui.* Potuisset sufficere nuda voluntas, nisi secu-ritatis maioris gratia existimatum fuisse, tuitius fuisse, vt etiam

etiam actus externus accederet, quo intentio, iuris plenissime in alterum transferendi, sufficientissime declaratur.

§. XIV.

Puto me satisfecisse meo officio, & ostendisse, non adeo hic pugnam esse inter ius naturae, Romanum, & mores Germanorum antiquos, & secundum horum iurium traditionem pactis id effici posse, ut statim ipso iure citra traditionem dominium vel aliud ius in re in alterum transferatur; aliud autem dicendum esse, si id non præcise actum est; sed contrahentes hunc effectum, ius in re scilicet transferendi, a traditione suspenderent. Et cum mores gentium ut plurimum traditionem requisuerint, cuius causæ supra allatae sunt, id quoque in dubio actum videtur fuisse, ut interim ex pacto persona promittens obligaretur, & subinde per traditionem vel veram vel symbolicam plenum ius in re in alterum transferretur. Hæc diuersa intentio diuersissimum quoque producit effectum. Priori casu pactum nōx efficaciam contra tertium habebit, ex iure, quod isto pacto in alterum translatum est; non vero posteriori casu, quo promis- for id non intendit, sed ius omne adhuc sibi in re integrum seruauit, donec traditio accederet.

§. XV.

Quæ cum ita sint, de efficacia pactorum de non alienando contra tertium speciatim videndum, de quo plures & grauiores mouentur difficultates. Sunt hæc duplicis generis, vel constitutiva vel reservativa, ut obseruat B. HERTIUS diff. de pacto, ne dominus rem suam alienet. §. 17. Hæc dicuntur, quæ traditionibus rerum, in C alte-

alterum vel in totum vel pro parte transferendarum, adiiciuntur hac lege & intentione, ne res in alterum transferri queat. Tali traditione non libera potestas & ius illimitatum in alterum transit, sed ius potius limitatum & restrictum, ut alienatio omnis impediatur. Hoc intuitu conditio, sub qua alienatio facta est, cohaerere rei dicitur, quæ facto alterius immutari nequit. Id perspicue traditur in l. 5. C. Si mancip. ita fuerit alienat. vbi dicitur: neque enim conditio, quæ personæ eius cohaesit, immutari facto eius, qui ea lege comparauit, potest. Reseruat videlicet sibi hoc pacto alienans tale ius, quo, si contra conditionem actum fuit, alienationem reuocare, & ex pristino iure sub conditione translatu contra quemuis possessorum agere possit, quod plenius §. XIX. declarabo. *Constitutua* dicuntur, quæ adiiciuntur bonis alienis, quæ possessores iam ab antiquo possederunt, & quibus in acquisitione a tradente talis lex non est præscripta. Tale pactum inter familias illustres sepe numero iniri solet de *bonis immobilibus* nunquam alienandis, sine consensu singulorum de illa gente, quo *fideicommissum* conuentionale initum censemur.

§. XVI.

An valeant pacta constitutiva de non alienando. Antequam de pactorum constitutiorum efficacia contra tertium agatur, prajudicialis est euoluenda quæstio: an tale pactum in genere efficaciam habeat? Hac si prorsus destituitur, frustra queritur, an etiam *contra tertium* efficax sit. Rationem dubitandi insignem suppeditat f. o. D. de patz. lex sane admodum vexata, quæ torfit interpretum ingenia. Ait POMPONIUS: Nemo pacificen-

do efficere potest, ne sibi locum suum dedicare liceat, aut ne sibi in suo sepelire mortuum liceat, aut ne vicino invito prædium alienet. Quodsi ergo nemo paciscendo efficere potest, ne se invito vicinus prædium alienare possit, recte pactum de non alienando nullius videtur esse efficaciae. Sunt, qui legem de eo casu intelligunt, quo non interest paciscentis, rem non alienari. MERENDA lib. 1. controv. c. 31. n. 16. Id vero menti ICti minime conuenit. Pactum ita conceptum est, ne invito vicino prædium alienet. Nam vero vicini omnino interesse potest, ut alium vicinum non habeat, quem tamen haberet, si pro lubitu eas ædes vendere permissum esset. ANTON FABER in ration. ad cit. l. lit. b. Alii ut HERTIVS de pacto ne rem domin. suam alien. §. 2. accipiunt verba adducti textus de nudo pacto, quod apud Romanos inefficax erat. In eo vero non videtur ICtus quæsiuisse rationem decidendi, sed vitium collocasse in ipsa pacti materia, quia de causa tria exempla refert vnius fere eiusdemque tenoris, quibus liberum domino arbitrium de re sua disponendi desumitur. Veteres textum accepisse videntur de pactis reseruatiis, vt ne quidem pactum traditionibus adiectum valeat. Reprobat id ipsum ANTON FABER ad cit. l. quod in reseruatiis pactis huiusmodi conuentiones olim valuerint. l. 13. §. 3. d. V. Obl. l. n. D. de relig. & sumt. fun. Denique FELTMANNVS ad cit. l. de effectu huius pacti contraterium POMPONIVM accepisse videtur, hoc sensu, vt non impediatur tali pacto alienatio, salua tamen sit actio ad interesse contra eum, qui contra datam fidem alienauit. l. f. C. de pact. int. emt. & vend.

§. XVII.

*Verus sensus l. 61. d.
pact. erui-
tur.*

Si conferimus l. u. de relig. manifestum inde reditum, hoc pactum a plurimis non tantum impugnatum fuisse in casu, quo rei alienae imponebatur, sed etiam quo rei alienatae, ad minimum ad hunc effectum, ut prohibitus talis directo non valeret, & impediri posset id, quod prohibitum est. De pacto reseruatio PAVLVS in cit. l. u. expresse disponit, & quod si locus, ait, monumenti hac lege venierit, ne in eum inferrentur, quos ius est inferri, pactum quidem ad hoc non sufficit, quod tamen, cum traditioni adiiciatur, iuxta l. 48. d. pact. sufficere potuisset, nec nudum esset dicendum, nisi aliunde ratio iuris obstitisset; sed stipulatione penalii id caueri oportet, cum id quod directo non valeat, pena adiecta per indirectum valere possit §. 18. I. de inutil. stipul. IO. A SANDE de prohib. rer. alien. p. 4. c. 2. n. 13. Rationem quæsuerunt antiqui forsan in eo, quod non inuidendum sit domino liberum de re sua arbitrium, quodque tale pactum primarium dominii effectum tollat. Alios tamen in sententiam diversam olim iam iuisse, innuit IVSTINIANVS in l. cit. f. C. de pact. int. emt. & vend. adeoque negantes tam pactum constitutum quam reseruum improbarunt. Substulit hanc item prælaudatus Cæsar in cit. l. f. & pacta reseruativa expresse approbavit. Ait: si quis ita pacificatur in venditionis vel alienationis contractu, ut novo domino nullo modo liceat in loco vendito vel alio modo sibi concessum extruere, vel alio modo humano iuri eum eximere: sancimus, licet hoc apud veteres dubitabatur, tale pactum ex nostra lege esse fouendum & immutatum permanere. Foritan enim multum eius intererat, ne ei vicinus non solum quem,

quem nollet, aggregaretur, sed etiam pro quo specialiter interdictum est. Cum etenim vendor vel alter alienator non alia lege ius suum transferre passus est, nisi tali fretus conuentione: quomodo ferendum est, aliquam captionem ex varia pati eum interpretatione.

§. XVIII.

Id ergo liquet ex cit. l. f. pactum reseruatiuum de non alienando expressa lege esse approbatum, in quo haec specialis ratio occurrit, quod alia lege alienans rem suam non alienare noluerit, & singulis permisum sit, rei suae transferendae in alterum legem dicere. Nondum vero aliquet, an eadem approbatio quoque trahi debeat ad probatum, da constitutiva, quibus haec lex rebus alienis dicitur.

Evidem IVSTINIANVS in l. f. C. de reb. al. non alien. generatim tale pactum approbare videtur his verbis: *sancimus: siue lex alienationem inhibuerit, siue testator hoc fecerit, siue pactio contrahentium hoc admiserit: non solum dominii alienationem vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed etiam ususfructus dationem, vel hyposthecam vel pignoris nexum penitus prohiberi.* Verum rursus ex hoc textu euidens est, loqui Imperatorem de pacto reseruatiuo, quod verba: *siue pactio contrahentium hoc admiserit;* indicant, docentque, pacto contrahentes rei suae talem legem scribere posse, ne alienetur. Existimat tamen, pro roborando hoc pacto prouocari posse ad cit. l. f. C. de pac*t. int. emt. & vend.* vbi Imperator rationem decidendi collocat in eo, *quod interesse possit eius, qui tale pactum rebus alienis adiicit, & quod ea de caula merito hoc seruandum sit.* Haec ratio generalis, & ad utrumque pactum applicari potest, quamvis forsitan haec

C 3

diffe-

differentia ratio olim superfuerit, quod pactum, vbi quis rei sua dicit hanc legem, sufficerit per l. 48. d. pact. stipulatione autem opus fuerit, vbi quis rebus alienis illam dicere voluit. Nec admitto obiectionem, quod iura correctoria non sint extendenda: nego enim quod l. f. cit. sit correctoria, quae potius est decisoria, literisque effectu hoc modo tollatur l. 61. d. pact. & l. ii. de relig. Exemplum huius pacti illustre constitui in illa conuentione, quae inter illustres de bonis ex familia sine consensu omnium agnatorum non alienandis iniri solet, & magis admittenda, quod in hoc pacto singulare interesse familiæ occurrat vniuersæ, cuius interest, bona in familia conseruari.

§. XIX.

*Efficacia pa-
cti reserua-
rii de non
alienando
contra ter-
tium ad
struitur.*

Euicta pacti huius efficacia in genere, nunc de eius viribus contra tertium, in quem forsan contra pactum alienatio facta, agendum. De pacto reseruatio iam dixi in §. XV. rationemque peculiarem adduxi. Hanc sententiam quoque illustrare potest cit. l. f. C. de reb. al. non alien, vbi idem effectus prohibitæ alienationi tribuitur, siue lege, siue testamento siue pacto facta fuerit. Cum vero constet, alienationem contra legem & testatoris dispositionem factam esse ipso iure nullam, l. 5. C. d. LL. l. 14. §. 15. de leg. l. l. 77. §. 27. eod. merito quoque idem dicendum de pacto reseruatio, quo non ius *absolutum* sed *restringitum* & *limitatum* in alterum est translatum, & ita pristinum transferentis ius reuiuscere videtur, si contra pactum actum fuit, vt actione reali contra tertium posse.

sefforem agi queat. Ad huiusmodi pacta reseruativa merito quoque referendum exemplum *l. 3. C. de condic.* ob caus. dat. vbi donatio in duos sub hoc modo facta erat, ut neutri alienanda sue portioni facultas nulla competet. Quarebatur ergo, quid efficacit tale pactum reseruatum? Respondent Cæsares quæsiti: 1) id efficit, ne alteruter dominium prorsus alienet: 2) vt donatori condicōnō quæratur, quod modus non sit seruatus. Prior effectus indicat, alienationem hanc esse ipso iure nullam, adeoque pactum hoc eam habere efficaciam contra tertium, vt res ab eo vindicari possit. Fuit enim ea lege, vt dicitur in *cit. ix.* res alienata, & sic cum hac qualitate translata: deficiente autem conditione, domino pristinum ius saluum est. Posterior effectus indicat, actori integrum esse, etiam conditionem ob causam datorum mouere contra eum, qui contra legem donationis rem alienauit, quod indicat particula vel. Neque inusitatum prorsus & insolitum est, in tali casu, si contra legem datum quid factum sit, tum rei vindicationem, tum conditionem competere. Euidens argumentum huius sententiae occurrit in *l. 1. C. de donat. sub mod.* vbi, non servata lege præscripta utilis vindicatio concessa, eo quod legi promissor obtemperare noluerit, & sic dominium pristinum in eum reuertatur. Aliud exemplum pacti reseruatiui est in *nou. 120. c. 9. in pr.* si ecclesiæ ea lege quid donatum, ut nullo modo id alienaret, cum aliis similibus textibus, quos omnes non est necesse referre.

§. XX.

Maior ratio dubitandi est de pacto constitutivo, quo *An pactum* lex rebus mere alienis, in quibus paciscenti nihil iuris *constituti-*
com-

*num habeat
afficaciam
contra ter-
cium.*

competit, quæque non transferuntur in alterum, dicitur, vt contingit in pacto ab agnatis inito, de bonis extra familiam non alienandis. Queritur videlicet, *an pactum tale habeat efficaciam contra tertium, in quem alienatio facta contra pactum?* Videtur illam tetigisse quæstionem MARCIANVS in l. 7. §. 2. de distract. pign. aiens: *Quæritur, si pactum sit a creditore, ne liceat debitore hypothecam distr. pign.* vendere vel pignus, quid iuris sit & an pactio talis nulla sit, quasi contra ius sit posita, ideoque veniri possit? Circa hanc quæstionem obseruo, 1) hic quæstionem fuisse de pacto constitutio, quia creditor hic legem rei alienæ, quæ in proprietate debitoris manebat, l. 2. §. 22. de vi bon. rapt. scripsit. 2) Quæstionem potissimum fuisse formatam de effectu, *an pactio ita nulla sit, ut valide veniri possit?* Denique 3) ICtum ansam dubitandi cepisse ex eorum doctrina, qui hoc pactum legibus aduersari dixerent. Proinde assensum non merentur, qui asserunt, ICtos veteres nunquam de eo dubitassem, annon hoc pactum strinxerat pacientem, ad minimum vt interesse praestet; sed tantum de eo disputasse, *an contra tertium efficaciam habueret, & impedire posset alienationem?* Generatim olim, qui in hac hæresi fuere, existimarunt, hoc pactum contra ius esse, & sic nec contra pacientem stringere, vt præter rationem hic adductam vel l. n. de relig. euidenter docet. Respondet vero ICtus in cit. l. ad propositam quæstionem: *Et certum est (ex seetæ suæ sententia ita loquitur) nullam esse pactiōnem, ut venditioni stetur.* Noui, in vulgata editione ita legi: *nullam esse venditionem ut pactio stetur.* Ast DONELIVS ad l. 13. §. 8. d. V. obl. iam obseruauit, ACVRSIO accedendum esse,

esse, qui lectionem adductam præferendam esse censuit. Suadent hoc rationes sequentes: (I) quia MARCIANVS expresse quæstionem ita format: *An pactio nulla sit talis, adeoque veniri posse?* Huic quoque conformis esse debet responsio, quæ ita accurate quæstioni congruit: *certum est, nullam esse pactionem* (de qua quæstio erat formata) *ut venditioni*, (quam forsitan creditor, re adhuc integra, impugnabat) stetur. (II) MARCIANVS veterum doctrinam secutus videtur, qui pacto huic efficaciam detrahebant, quasi *contra ius esset possum*, quæ sententia fere *communis* erat, adeoque addit: *Et certum est.* Denique si vel maxime lectioni vulgatæ inhærendum, inde tamen id tantum euinceretur, MARCIANVM a reliquis dissensisse, & pactioni huic vim tribuisse *contra pacientem*, quem impedire potuit, ne rem venderef. Ast nulla ratione inde effici poterit, efficaciam *contra tertium* habuisse, & impediisse *translationem dominii*. Neque enim ICtus ait, *nullam esse alienationem, ut pactioni stetur*, sed *nullam esse venditionem*. Id commode accipi potest de casu, quo venditio quidem inita, sed res adhuc *integra* est. Quemadmodum enim pactum *promissionis* tertio, cui ex hoc ius est quæsitum, facultatem præbet, re adhuc *integra*, impediendi, ne res vendita emtori tradatur, idque actione *personalis* contra debitorum mota, non vero contra emtorem agendi, re non amplius *integra*; ita quoque idem de hoc pacto dicendum esse arbitror. Re *integra*, impedit, ne venditio facta possit in effectum deduci; & ita in effectu *nulla & inefficax* est, idque ideo, ut pactioni stetur, ex qua ligatur vendor: minime vero operatur, ut *contra emtorem*,

D

rem,

rem, re non amplius integra, agi possit, quippe qui *pactio*ne non stringitur, ex qua tamen fundamentum decisionis desumit *Ictus*, si lectio vulgata genuina est. Hanc esse debere mentem *Icti*, tota iuris Romani analogia docet, secundum quam pactum rem non afficit, sed personam tantum stringit, *l. 2. pr. de pollici* vt statim ab initio dixi. Id agnoscit: etiam *B. HERTIUS cit. diff. s. n.* quamvis diuersam interpretationem textui deridit, negatque, rei vindicationem hoc casu competere creditori pacienti: hypothecaria vtique ei danda contra tertium, quæ tamen non efficit, vt venditio sit nulla: quid enim si emtor soluere paratus sit? quid si debitor soluerit?

§. XXI.

*Quando
hoc pactum
efficaciam
contra ter-
tium habe-
re possit.*

Regulariter ergo hoc pactum non impedit translationem dominii *in tertium*, & sic efficaciam contra tertium non habet. Aliud tamen quandoque agi posse, vt per ipsum pactum plus, quam nudum *ius ad rem*, transferatur, non diffiteor. In fideicommisso conuenientiali, quod per pactum de non alienando etiam inducitur, id generatim adstruit *B. HARPRECHT de fideic. conuent.* *ib. 65. n. 9. sqq.* propter *l. 48. de pac.* & *l. f. C. de pac. int.* *emt.* & *vend.* *l. 5. C.* si manc ita ven. similesque textus, qui tamen de *pactis reservariis* euidenter loquuntur, in quibus decisionem eius admittendam esse censuimus. Quid autem si pactum sit mere *constitutuum*? Quid si agnati *vnius eiusdemque gentis* illustris *pactum unionis*, quod vocant, inter se inierint, constituerintque, ne quis bona immobilia extra familiam alienet? Hic quilibet bonis alterius hanc legem dicit, ne dominus res suas

